



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1719

Quæst. 703. An & qualiter facta condistincta à rebus legari possint.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

dividuum est, volunt cum Bart. & Covar. Molin. *cit.* 197. in fine. de Lugo. l. c. num. 154. Si verò res legata individua est. v. g. fundatio beneficii, vel constructio Capella in tali Ecclesia, forte vel transactione legatum tradendum. et si res, sive dividua, sive individua sit inalienabilis, requirendam licentiam Pontificis, ut contra voluntatem fortè testatoris res applicetur etiam ex consensu alterius Ecclesiae alteri loco, de quo testator non cogitavit. ita de Lugo. l. c.

Quaest. 702. Quinam onerari possint legatis praestandis.

R Esp. Jure quidem veteri iis onerari non poterant nisi haeredes testamentarii, ut constat ex §. 1. *Inst. de legat.* dum ibi in descriptione legatorum additur: *ab haereditibus praestanda.* hodierno tamen jure post aequationem legatorum & fideicommissorum haec praestatio imponi potest cuivis, ad quem morte legantis aliquid commodi transit, sive ei ex dispositione legantis vel legis aliquid deur, sive non adimatur. Arg. L. 1. §. 6. *ff. de legat. 3. l. 9. c. de fideicommissis.* Lauterb. *ad ff. de legat. §. 12.* Sic itaque in specie legatis onerari possunt etiam haeredes ab intestato venientes. L. 92. *§. fin. ff. de legat. 1.* Item possessores. *cit. l. 92. §. 1.* Item haeredes haereditum, si nimirum certum sit, ad eos haereditatem perventuram, L. 5. §. 1. l. 6. *ff. de legat. 3.* Item substituti; cum, quae ab instituto relicta sunt, à substituto debeantur, nisi contraria testatoris voluntas appareat. L. 74. *ff. de legat. 1.* ubi etiam tres conjecturae, unde haec voluntas colligi possint, ponuntur. Item jure novo ipsi legatarii & fideicommissarii gravari possunt, quomodo tamen hi gravari providi esse debeant, consulti à Stryck, *de cautel. testam. c. 20. §. 10.* Lauterb. l. c. §. 13. Item donatarii causâ mortis. *Lib. 77. §. 1. ff. de legat. 2.* De cetero qui morte legantis nihil acceperunt, legato ex bonis propriis praestando gravari nequeunt. L. 9. *c. de fideicommissis.* sicut etiam nemo ex causa legati solvere plus cogitur, quam à legante accepit. L. 70. §. 1. l. 114. §. 3. *ff. de legat. 1.* Quamvis interdum valeat legatum, etiam si externa specie, plus, quam à legante receptum, continere videatur. v. g. dum is, cui legata 100. post decem annos praestare teneretur 150. vel si, cui legata 100. ut fundum praestet pluris valentem, cum exinde magnum emolumentum consecutus sit, vel poenam imminuentem evaserit. Lauterb. §. 14. juxta *cit. l. 70. §. 1.*

Quaest. 703. An & qualiter facta condictione à rebus legari possint.

R Esp. Legari possunt facta, ita ut haeres jussus à testatore aliquid facere. v. g. legatarii aedes rescire, is ei parere debeat. §. 21. in *fin. Inst. de legat. l. 66. ff. de legat. 1. L. 49. §. fin. ff. de legat. 2.* Muller. *ad Struv. in ff. de legat. th. 15. lit. a.* Lauterb. §. 15. citatis insuper pluribus aliis LL. Quemadmodum autem in omnibus aliis obligationibus facti requiritur, ut sint licita & honesta juxta L. 15. *ff. condit. instut. l. 5. c. de LL. ita & in facto legato, ut sit honestum. L. 112. §. 3. & fin. ff. de legat. 1.* nec sanctionibus legum adversetur. *cit. L. 112.* Muller. l. c. hoc ipsum exemplificans, quem vide. Item ut utilitatem alicujus respiciant. L. 114. §. 14. *ff. de legat. 1. l. 38. §. 4. ff. de legat. 3. l. 114. §. 14. de legat. 1.* Brunem. *ibidem.* Muller. l. c. Item facta, ut aëstimationem admittant. *cit. l. 114. §. 8.* Bardili. *disfert. de oblig. faciend. c. 5. th. 43.* Muller. l. c. Ac denique, ut non inepta, id est, qui vivis nocent & R. P. Leur. *Jur. Can. Lib. III.*

mortuis non prosint, L. 113. §. fin. *de legat. 1.* ita ferè Lauterb. §. 15.

Quaest. 704. Quae res legari vel non legari possint.

1. **R** Esp. Primò: legari nequeunt res, quae ex natura sua non sunt in commercio; quales dicuntur, quae emendo, vendendo aliove contractu acquiri vel possideri nequeunt, cum commercium ab Ulpian. *fragm. tit. 19. §. 4.* dicatur, jus emendi vendendique invicem, ut sunt res juris divini, puta sacrae, religiose; & juris humani, puta, homo liber, Respublica, res, quae in Principis sunt patrimonio, & quae usibus Principalibus deserviunt, quibus etiam annumeratur tignum aëdibus junctum, quod eximi prohibetur per L. 2. *c. de adf. privat. & ita extra commercium esse dicitur per L. 41. §. 1. l. 42. & 43. ff. de legat. 1.* haec inquam res legari non possunt. *c. 1. h. t. §. 4. Inst. de legat. l. 39. §. 8. & seq. ff. de legat. 1.* Et quidem si res simpliciter absolute ex natura sua est extra commercium tam haereditis quam legatarii, quales sunt jam enumeratae, & de quibus loquuntur. *cit. l. Legatum planè nullum est, ita ut haeres ne quidem ejus aëstimationem praestare teneatur.* Lauterb. §. 17. *Stru. in ff. de legat. th. 9. lit. a.* Muller. *ibid.* cum communi, Si verò solùm per accidens est extra commercium ejus nihilominus aëstimatione praestanda est legatario ab haerede per L. 40. *ff. de legat. 3.* Muller. l. c. citatis aliis. Sic etiam valet legatum, si certo solùm respectu, nimirum ratione personae res est extra commercium: v. g. dum haeres quidem commercium rei non habet, legatarius tamen eam acquirere potest. *Stru. l. c.* Lauterb. §. 18. sic illud exemplificans: si testator Christiano à Judaeo Christianum mancipium legasset, licet Judaeus non haberet illius commercium, per L. 1. *c. ne Christian. mancip. id tamen praestare debet per cit. l. 40. §. 3. ff. de legat. 1.* Si verò legatarius commercium nullum haberet rei legatae, seu eam ex natura rei acquirere nequirit, legatum nullum erit, neque ejus deberetur aëstimatio. *Stru. l. c.* quam tamen, casu quo haeres ipse haberet commercium rei, deberi per L. 42. *ff. de legat. 1. & l. 49. §. 2. eod. judicat Lauterb. cit. §. 18.* ubi etiam objecta in contrarium diluit.

2. De cetero res, quae per accidens actu non sunt in commercio legatarii; quia v. g. sunt in manibus hostium, adhuc valide legantur; cum potentia & ratione spei sint etiam apud legatarium & in ejus commercio; cum ab eo emi possint. L. *ab omnibus. 104. §. 2. de legat. 1.* Muller. l. c. *lit. d.* ubi etiam, qualiter quod talis res apud hostes existens, jure postliminii legari possit; quamvis aliis communis sit sententia, rem apud hostem existentem, quae nostra non est, legari non posse.

3. Quod attinet feudum, quod quia extra commercium esse dicunt aliqui, legari posse negant plures Feudista. Manz. *de testam. valid. & invalid. tit. 3. num. 11.* apud Lauterb. §. 19. quod quidem intelligendum non de feudo haereditario quod praestari posse ait Gail. L. 2. *obs. 114. num. 14.* Sed de feudo antiquo, utpote quod non est aliquid haereditarium, sed omnino ab haereditate, nihil ad successionem in eo conferente, separatam, diversa ab ea & separatam naturam habens, adeoque ad haeredes extraneos non transiens; unde in fideicommissum universale (idem est de fideicommissis particulari seu legato) non venit; quia vassallus testator de eo testari nequit juxta *cap. 1. de success. feudat. nisi fideicommissarius* (intellige, etiam